

Innumeri quod te diversa per ostia late  
 Incurrunt amnes, quamquam differre meatus  
 Possent, sed celerant in te consumere nomen;  
 Namque et Pronaeae Nemesaeque adjuta meatu  
 Sura tuas properat non degener ire sub undas,  
 Sura interceptis tibi gratificata fluentis,  
 Nobilius permixta tuo sub nomine, quam si  
 Ignoranda patri confunderet ostia ponto.  
 Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus  
 Festinant famulis quam primum allambere lymphis;  
 Nobilibus Gelbis celebratus piscibus; ille  
 Praecipiti torquens cerealia saxa rotatu,  
 Stridentesque trahens per levia marmora serras,  
 Audit perpetuos ripa ex utraque tumultus.  
 Praetereo exilem Lesuram, tenuemque Drahonum,  
 Nec fastiditos Salmonae usurpo fluores.  
 Naviger undisona dudum me mole Saravus  
 Tota veste vocat, longum qui distulit amnem,  
 Fessa sub Augustis ut solveret ostia muris.  
 Nec minor hoc, tacitum qui per sola pinguia labens  
 Stringit frugiferas felix Alisontia ripas.  
 Mille alii, prout quemque suus magis impetus urget,  
 Esse tui cupiunt; tantus properantibus undis  
 Ambitus aut moles. Quod si tibi, dia Mosella,  
 Smyrna suum vatem, vel Mantua clara dedisset,  
 Cederet Iliacis Simoës memoratus in oris,  
 Nec praeferre suos auderet Tibris honores.  
 Da veniam mihi, Roma potens! pulsa, oro, facessat  
 Invidia; et, Latiae Nemesis non cognita linguae,  
 Imperii sedem Romaeque tuere parentes!

355.

360.

365.

370.

375.

380.